

Bibliothèque numérique

medic@

**Robert, Marin-Jacques-Clair -
candidat / Le Hoc, Louis-Pierre -
président. - An à Variolarum
inoculatione aër insalubris ?**

1757.

***Paris : Typis Viduae Quillau,
Universitatis & Facultatis Med.
Typographi***

Cote : ms 2334 n°33



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax13x0033](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax13x0033)



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima-octava
mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LVII.*

M. LUDOVICO - PETRO LE HOC,
Doctore Medico, Præside.

An à Variolarum inoculatione aër insalubris?

I.



LEMENTUM illud, quod terrestria extrinsecus ambit corpora, illorumque intimos recessus penetrat, aër nuncupatur. Fluidum esse, gravem, elasticum, calore rarefieri, condensari frigore nosse novum non est. Mirum in modum hic ipse ad vitam & sanitatem conducit, quis enim illius beneficio, respirationem vitæ perennandæ admodum necessariam, exerceri nescit? In ventriculo etiamnum, mediante illo, felicius peragitur alimentorum digestio; cum iisdem nempe deglutitus, fibras tunicarum nervæ leniter vellicare valet & nisu elastico affricum adaugere, ex quo necessarius ad ingestorum dissolutionem nascitur caloris gradus. Imò nostra hæc assertio quotidianâ confirmatur observatione. Quos videlicet ruris, ubi aër purior vulgò habetur, vitam degentes perpetua ferè urgebat fames, eos, si rerum agendarum moles ad urbem coëgit, afficiunt stomachi gravitas, inappetentia, nausea, vomitus & nonnumquam morbi ex turgescente putri saburra. Eidem quoque tanquam accepta referri potest major

A

partium sanguinis attritio, perfectior humorum elaboratio & confectarium functionis cujuslibet exercitium. Nonne etenim particulas aëris sanguini interjectas omni vi elasticâ non defraudari verò similis? Itaque duplici de causa mox dicti sequuntur optimi effectus. Nam 1°. elater nonnisi ægrè de statu suo dimovetur & vi resistit distendenti. 2°. Permissus sibi resilit, & diducit obvium quemque alium obicem minùs resistentem. Prima ergò de causa, in aëris particulas impulsæ ab arteriarum & cordis actione sanguinis moleculæ quasi prælo subjiciuntur & compressus aër statim ac sui elaterii jure potitur, resilit & repellit viciniore in alias, hasque in ipsos vasorum parietes. Perpetuo item applicitu optatam temperiem corpori inducit, hæc verò omnia solus præstabit aër purus, liberè patens, exquisitè temperatus, ac probè elasticus. Interest ergò ut huic contrarius vitetur, præsertim miasmatis aspersus impuris, qualem esse eum, qui corpora inoculata alluit, testantur naturalium variolarum contagii vis, harumque & artificialium identitas.

I I.

INFELICES heu! mortales. Quaslibet aëris vicissitudines experiuntur; nec diuturnè in eadem consistit temperie, frequentius nimirum peccat humiditate, siccitate, frigore & calore. Cujuslibet utique intemperiei pravyos effectus eruditè annotavit (a) Celeberrimus Boerhaavius; at quod humanæ gentis salutis noxium magis, miasmata deleteria nonnumquam indolis secum ferre aërem nos docet immaniter sæviens quandoque pestis. Perfecit resciebat illud Celsus, cum monuerit (b) vitandas auras paludum ac stagnorum. Didicerat quoque Riverius, ut ex ipsius verbis constat. *Insalubris aër qui è specu quodam pestilentiam auram recipit* (c). Sic fatur ipse Boerhaavius (d), *Exhalationes, meteora, vapores aërem ita permutant, ut creet varios morbos minùs pendentes ex ipsa aëris indole, ejusve dotibus, qualitatibusque, quàm ex natura & efficacia admixti.* Hæc subindè in corpus intrusa, pro diversa indole diversas solidis fluidisque lates inurunt. Plerumque tamen siccant & inflammant; siquidem vulgò febres ardentes, deliria, phrenitidem, pustulas, carbunculos, parotides, aut lethales hæmorrhagias procreant. Diversâ quidem viâ ad sanguinem devehuntur illa, vel cum alimentis ingesta chylo miscuntur, vel inspirationis tempore in pulmones adducta sanguini affunduntur, vel in aëre volitantia per venas bibulas in omni superficie corporis tum interna tum externa hiulcas resorbentur. Undè confertim arterias subire possunt. Ad optimos proindè puri aëris effectus & teterrimam symptomatum ex ejusdem corruptela nascentium iliadem attendenti patescit, quàm nocivum sese morbo vexatis epidemico assistentes præbere sanos, ducereque aerem materia perspirabili è pectore, totoque corporis habitu dimanante madidum; idque propter uberiora miasmatum è corporibus non tantum emortuis effluvia.

I I I.

QUOT & quanta summo numini referenda, si variolarum tyrannidi finem, aut modum imponeret! Quas tangit vultus honos, puellæ non in perpetuo versarentur mentis angore; & certior cordibus insideret securitas? Hisce rebus prospicientes multi, mitioremque fore hospitem hanc hydram sperantes, eam adhucdum distantem & quasi invitam accersunt infitionis operatione. An admittenda, an rejicienda, judicent alii, nos hanc ut varioloso pure inquinetur humorum massa institui affirmare tantum audemus, utque res pro votis succedat*, *operator in patientis ruit præparati summa cuncte, vulnuscule uno pollice longum infligit lanceola ope, in utriusque bra-*

(a) Sect. 746.
47, 48, 49, 50
& 51. inst. Med.

(b) Cap. II. quæ
imbecillis. serv.
sint.

(c) Cap. XXV.
de Aëre.

(d) Sect. 752.
inst. Med.

* Vid. Th. D.
Mor. an. Paris.
1800.

chii parte media externa, ubi cantheria inurere solemne est, filum crassiusculum ex contortis lineamenti carpi staminibus conflatum, varioloso pure imprægnatum immittitur. Hæc methode, vesicantiumve ope pus in corpus intromissum, vel fermentum prius existens movet & exsuscitat, vel vi propria subvertit humorum discrasiam. Verumtamen non statim ab ingressu suæ dat signa præsentia materies purulenta, hæc videlicet quasi sopita, ad septimum usque circiter diem per diversas corporis partes, sanguinem, ut ita dicam, fermentando circulatur. Tum, accensâ febre, orditur tragædiam, ac velut agmine facta, apparent symptomata futura eruptionis, cujus initium vulgò dies decima, suppurationis autem terminus decima-sexta, vigesima exsiccationis, nunc verò celebratâ insitione, aërem inquinari & exindè variolas nasci naturales probare operæ pretium est.

I V.

VARIOLAS epidemicè grassari apud omnes ferè in confesso est, an tot enim & tantas strages ederet morbus hic, nisi aëris infectu propagaretur? Nonne contagii suspicionem menti induxerit imago excelsæ admodum mulieris, macie turpi torridæ, furia instar bicipitis, quatuor brachiis præditæ, sub qua depictis variolis Indiarum Incolæ ineptissima faciunt vota, * an immeritò ex miasmata miscela nasci morbum suspicamur, qui lethalia infligit vulnera infantulis & senibus, quorum corpora ad inflammationem minus apta videntur, in prioribus namque tenerior, & quasi mucosa observatur corporis compages, in posterioribus colluvies luxuriat serosa. Adhæc tyrannidem exercent variolæ independentes ab aëre sicco, humido, frigido & calido, nisi in hacultima intemperie, majori inducta miasmata divisione, intendatur contagium, quid plura? Ubi primùm in quibusdam terræ plagis inficitur aër, ægrotant corpora suscipiendo contagio magis commoda. Dein femini viribus auctis, qui primùm firmiore solidorum texturâ & vegetâ sanguinis diathesi, telorum aciem effugerant, miserè plectuntur, sic ut de familia in familiam, imò pagatim serpere incipiat, incassum heu! Jam in oppidi cancellos ingressum hunc hostem arcere molimur, quippè qui principum & magnatum corpora labefactet. An ullum autem variolas naturales inter & artificiales discrimen interest? Quatuor distincta in alterutrâ specie observantur tempora effervescentiæ, eruptionis, suppurationis & exsiccationis, eadem & sese produnt symptomata, non alienum ergò disjungere ex artificialibus contrahi naturales, perindè ac pus naturalium in pixidicula servatum artificialibus natales præbere ferè perpetuum est. Nonne è ruptis abscessulis purulenta in aërem erumpunt miasmata, quæ itinere multilici ad sanguinem delata, eum inficiunt. Contagionis verò ex insitione oriundæ exempla vicinior nobis suppeditat Anglia, quorum unum, aut alterum referre juvat.

1°. Manduessedi, ubi nulla variolosæ luis erat suspicio, duobus solummodo inoculatis fratribus epidemicè grassatæ sunt variolæ (a).

2°. * Nuburgi urbis præfectus, ut simul & civium incolumitati, & securitati Medicorum consuleret, exulem fecit prius admissam inoculationem. Aded enim truculenter grassabatur naturalis variolarum morbus ex artificiali natus, ut effræno iræ impetu abrepti, cives novæ operationis patrocinantibus trucidassent. Quorsum spectat vicinorum ærumnas hic subicere? Non ita pridem Parisiis, (horret animus talia fari, aded altè menti hæret popularium amor) plures non infimæ notæ tum viri, tum mulieres, quos hic nominatim allegare supervacaneum foret, non aliter variolas naturales dictas contraxere.

* Thevenot, in
Collectionis Gale-
licæ scriptis.

(a) Vid. Ep. D.
Cantwel. pag. 20.
* Newberry.

(a) An inoculatio
re nefas?

(b) Non enim
nimis densata fri-
gore cutis, ut in
plagis septentrio-
nalibus, pustula-
rum eruptioni ob-
stat, nec perinde
ac in meridiona-
libus, aestu nimio
exagitati humo-
res flammam con-
cipiunt, neque
ideò in putrila-
ginem citò ver-
santur.

NE existimes velim nobis in animo esse inoculationem impugnare, quæ quidem, si scriptis fides, patientibus modò sanis, & ritè præparatis raro infesta. Ex hac nostra thesi illud tantum consequitur eam, nonnisi priùs adhibitâ majori cautelâ, fore celebrandam. Illâ enim in omnibus oppidi regionibus admissâ, tota variolosis miasmatis inquinabitur athmosphæra; unde variolis naturalibus conflictari eos necesse est, qui nullâ præparatione prægressâ, ad suscipiendum contagium fuerunt dispositi. Unâ proinde, quasi fœdere factò, grassabuntur utraque species, abundantius circumquaque dispergetur seminium; tùm homines diuturnis morbis penè confectos, scorbutico fermento, venereo, scrophuloso contaminatos afficiet variolosa lues. Hincque libitinæ vectigales erunt, qui remediorum efficaciam tot morborum vim superassent. Quin imò in summum vitæ discrimen adducetur ipse inoculatus, naturalis utpotè & artificialis morbi gladio confossus: quot oppugnare possit contagio ex inoculatione oriunda, docet calculus, quem in quartâ suæ thesios (a) paragrapho inivit celeberrimus Medicus Parisiensis D. de la Vigne. Plurimi verò interest ut arceatur morbus, qui, ut loqui amant inoculatores, decimam hominum partem enecat. Illud tamen non adeò certum, ut in Normannia observaverim ex quadricentis colonis juxtâ maris littora variolarum morbo decumbentibus duos tantum esse mortuos, quorum unus jampridem pectore laborabat. In ipsomet Parisiensi Nosocomio, ubi major, quàm alibi, aëris inquinatio, vix septem, inter ducentos variolis afflictos, fati cedunt, quod ex Medicorum ejusdem Nosocomii & peculiari mea, dum ægrotantium invisui sedulò adessem, observatione constat; undè concludere pronum est, non tam ex sua, quàm ex adjunctæ cujuscumque aliûs epidemiæ naturâ, vel ex minis accurata curandi methodo, lethales esse variolas in nostris præsertim temperatis regionibus (b). Verùm, si nimius abripiat inoculationis amor, eligendus locus longè à civium turba distans, in quo Nosocomium extruatur pauperibus inferendis dicatum, dum in villis suis hanc patientur operationem Magnates, aliique divitissimi cives. His omnibus perspectis concludimus.

Ergò à Variolarum inoculatione aër insalubris.

Proponebat Parisiis MARINUS-JACOBUS-CLARUS ROBERT,
Cadomensis, Universitatis Cadomensis Doctor, Saluberrimæ Facultatis
Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Thesios Author, A. R. S. H. 1757.

A S E X T A A D M E R I D I E N.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typographi, 1757.